

cinatio autem est, quæ res fabricatas solertia ac ratione proportionis demōstrare atq; explicare pōt. Itaq; architecti qui sine litteris contendunt vt manibus essent exercitati, nō potuerūt efficere vt haberēt pro laboribus autoritatē. Qui autē ratiocinationibus & litteris solis confisi fuerūt, vmbra, nō rem persecuti vident. At qui vtrūq; p̄didicerūt, (vti omnibus armis ornati) citius cum autoritate quod fuit propositum, sunt assequuti. Cum in omnibus enim rebus, tum maxime etiam in architectura hæc duo insunt, quod significatur, & quod significat. Significatur proposita res de qua dicitur. Hanc autem significat demonstratio rationibus doctrinarum explicata, Quare videtur vtraq; parte exercitatum esse debere, qui se architectum profiteatur. Itaq; eum & ingeniosum esse oportet, & ad disciplinam docilem. Neq; enim ingenium sine disciplina, aut disciplina sine ingenio, perfectum artificem potest efficere, & ut literatus sit, peritus graphidos, eruditus geometria, & optices non ignarus, instructus arithmetica, historias complures nouerit, philosophos diligenter audiuerit, musicam sciuerit, medicinæ non sit ignarus, responsa iuris consultorum nouerit, astrologiam cœliq; rationes cognitatas habeat, Quæ cur ita sint, hæc sunt causæ. Litteras architectum scire oportet, vti cōmentariis memoriam firmiorem efficere possit. Deinde graphidos scientiam habere, quo facilius exemplaribus pictis, quam uelit operis speciem, deformare valeat. Geometria autē plura præsidia prestat architecturæ: & primū ex eutygrammis circini tradit usum: e quo maxime facilius edificiorum in areis expediuntur descriptiones: normarumq; & librationum & linearum directiones. Item per opticen, in edificiis, ab certis regionibus, cœli lumina recte ducuntur. Per arithmeticen, sumptus edificiorum consumantur: mensurarum rationes explicantur: difficileq; symmetriarum questiones geometricis rationibus & methodis inueniuntur. Historias autem plures nouisse oportet, q̄ multa ornamenta sæpe in operibus architecti designant, de quibus, argumentis rationem cur fecerint querentibus reddere debent. Quemadmodum si quis statuas marmoreas muliebres stolas, & quæ caryatides dicuntur, pro columnis in opere statuerit, & insuper mutilos & coronas collocauerit, p̄contātibus ita reddet rationē. Carya ciuitas Pelopōnesi cum persis hostibus cōtra græciā cōsensit: postea græci per victoriā gloriose bello liberati, cōmuni cōsilio caryatibus bellū indixerunt. Itaq; oppido capto, uiris interfectis, ciuitate deleta, matronas eorū in seruitutē abduxerunt. Nec sunt passi stolas, neq; ornatus matronales deponere: vti non vno triumpho ducerent, sed aeterno seruitutis exēplo graui cōtumelia pressæ, pœnas pendere uiderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, edificiis publicis designauerūt earū imagines oneri ferūdo collocatas: ut etiā posteris nota pœna peccati caryatiū, memoriæ traderet.

Architecti hanc duo

Significatiue

proposita res de qua dicitur,

quod significat

demonstratio rationibus doctrinarum explicata.

Architecto regi requiruntur

Ingeniosum esse
docilem ad disciplinam
Litterarum
Geometriam
Arithmetiam
Historiarum
Musiam
Medicam
Astrologiam
Pictoriam

Exemplum cetero seruitutis

Et in omnibus
mensurarum
librationum
linearum
directionibus